

varianti articuli

Auspicio S. S. Trinitatis
DISPUTATIO PHYSICA

De

**ELEMENTIS IN
GENERE.**

Quam

*Ex consensu & approbatione venerande facultatis Philosophice,
in Regia & Illustri Aboënsi Academiâ,*

Rectore Magnifico

*Admodum Reverendo & Excellentissimo V I R O,
DN. M. SIMONE S. KEXLERO, Mathe-
matis Professore ordinario, atq; in Physicis Pastore dignissimo : Me-
cenate & fautore suo reverenter suspicio;*

S U B P R A E S I D I O

*Reverendi & Praclarissimi V I R I,
DN. M. ABRAHAM GEORGII THAUVONII,
Physices & Botan. Professoris publici celeberrimi, Pastoris in
Lando meritissimi, nec non Facultatis Phil. p. t. Decani
spectabilis : Praeceptoris & promotoris sui
obſervandi.*

*Pro Gradus & Privilegijs Magistery Philosophici obtinendis publi-
ca disputatione submittit*

L A U R E N T I U S O. S U N D I U S
S U D E R M A N N U S.

In Auditorio majori ad diem 26. Aprilis Anno 1656.

A B O Æ.

Excusa à PETRO Hanßen/ Acad, Typog.

Reverendissimo, Excellentissimo & Nobilissimo Domino,
DN. JOHANNI M. GÖTQWIST/

S. S. Theol. ac Phil. Doctori celeberrimo; Dioeceseos
Stregnensis Episcopo dignissimo, Consistorij Ecclesiastici Prae-
fuli, Regijq; ibidem Gymnasij Ephoro gravissimo. Mecœna-
ti & Patrono omnibus observantiae studijs æter-
num prosequendo.

*Reliquis simul Reverendis & Claris. VIRIS ac Dn.
CONSISTORIALIBUS; Gymnasij LECTORIBUS,
Promotoribus & fautoribus suis perpetum devenerandis.*

N E C N O N

Spectatis. Prudentissimis Humanis. VIRIS.

DN. PETRO GERS/ Regiae Aboënsis Academiæ
Quæstori accuratissimo; ob insignem mihi exhibitam liberali-
tatem multis nominibus eolendo.

DN. PETRO JOHAN: AULÆVILLIO, Curiaæ infe-
rioris, in boreali Metropolis Holmensis Suburbio Notario
dexterissimo, cognato suo plurimum honofando.

DN. HAQUINO ANDREÆ Ostro-Gotho, Curiaæ inferioris
Aboënsis Notario perindustria, Hospiti & Nutritio per trien-
nium liberalissimo.

DN. ERICO MICH: RYSTER/ Comitatus Wasburgensis Ju-
ridico, simul et Territorij Vemoënsis Judici æquissimo, amico
• Fratri suo per dilecto.

DN. LAURENTIO JOH. HINSBERGIO, Generofiss.
Dn. Christinæ Horn à Sacris fideliss. amico suo indubitatiss.

*Disputationem hanc inauguralem in spem promotionis, accepto-
rum beneficiorum memoriam, ulterioremg, sui recorda-
tionem, ubi missæ, officijs & amicè offert & inscribit
Laurentius Sundius.*



ΣÙV ΘΕΩ
DISPUTATIONIS PHYSICÆ
ELEMENTIS IN GENERE

Prooemium

A Manissima Philosophia viridarium multis pulcherrimis ornatum & constitutum est fructibus & floribus, ut eorum venustas incredibili sui desiderio, quemvis suum spectatorem afficiat. Fingunt Poëta Pygmalionem ex ebore virginem affabre adeò formasse, ut ipse operis sui conceperit amorem, atq[ue] adeò Deam rogari, ut animam ei inspirare vellet, quòd cum unâ hâc vitâ omnem dulciter agere posset: Similitèr divina hæc virgo Philosophia, ob formâ sua elegantiam & morum concinnitatem suis cultoribus ineffabilem instillat amorem. Quippe tanta ejus est vis & præstantia, ut intellectum per funestum Protoplastorum lapsum ignorantiae labe obfuscatum, scintillas divinae imaginis accendendo & fovendo, in cognitione veri, & actione boni quos dammodo perficiat & restauret. Nunc igitur à venerandâ facultate Philosophicâ jussus, ut pro summo in Philosophia gradu, aliquid loco specimini publici ederem, animus est spacioſissimum & jucundissimum Scientiæ naturalis viretum ingredi, & odoriferos in ſinu ejus repositos flores inſpicere: inter quos non infimum ſibi vendicant locum Elementa, quorum utilitas ad omnes corporum naturalium species ſeſe diſfundit, ex hiſ enim constant, ſunt & conservantur, animalium generationi, nutritioni accretioni & respirationi inserviunt. & cum corrumpuntur, ſunt communia eorum ſepulchra: Imò nullares natura & arti ſubjecta horum operâ non indiget. Horum jam eſſentiam & naturam rudi Disputationis penicillo depingere decreui; Itaq.

*Astropotens numen mentem lingvamq; gubernat,
Atq; meis captis aurâ succurre benignâ.*

Thefis I.

Naturam atq; essentiam Elementorum indagatur. non incommodè statim in limine eorum Definitio- nem Nominalem præmittendam esse operæ pretiū duximus, nè errorem vel obscuritas vel ambiguitas no- minis pariat, quippè Nominis cognitio dicit nos in co- gnitionem rei, in cuius enodatione perpendi solent. *Etymologia, Homonymia & Synonymia.*

II. *Etymologiam* quod concernit; dicitur Elementum aliàs quaù alimentū ab alendo a in e mutato, quod omnia corpora sublunaria sicut ex Elementis sunt composita, ita & ijsdem alantur, foveantur & conserventur, ut in Di- sputationis Procœmio subinnuimus. Elementa Græcis dicuntur *σοιχεῖα ἀπὸ τῆς σείχεως* h. e. proprio ordine eo, quia proportione inter se mista ad compositi constitutio- nem procedunt.

III. *Homonymia* deinde nobis spectanda venit, nè *Æ- quivocatio* seu ambiguitas vocis alicui imponat, cum illa errorum genitrix semper esse soleat, ideoq; ipsam statim in initio esse tollendam statuimus. Sciendum itaq; vo- eem Elementorum accipi 1. *Impropriè* idq; (α) *Generalif- simè* pro cuiuslibet rei principijs; Sic literæ dieuntur E- lementa Orationis (β) *Generaliter & Metaphoricè* pro rudi- mento seu initio artium vel alias alicujus rei artificialis, ut rudimenta Rhetorica appellantur Elementa, sic calix, lapides & ligna sunt Elementa extruendi ædificij (γ) *Spe- cialiter* pro generationis principijs, quomodo Materia & Forma dicuntur Elementa (δ) *strictè* accipitur pro coelo,

Cum

cum hoc sit Elementum mundi, & partem integrantem mundi constitut & absolvat. Dicitur etiam Elementum primum ratione dignitatis & situs; Item quintum Elementum, respectu reliquorum.

IV. 2. Propriè prout Elementum contradistinguitur Cœlo, & est corpus quoddam simplex sublunare. Differt enim à coelesti, primò *situ*, quod hoc sit superius, illud inferius: Deinde *essentia puritate*, quod cœlum sit substantia purissima nullis Elementorum atomis obnoxia; Elementa verò prout in mundo existunt, ex ias ratione vix ullibi pura reperiuntur.

V. *Synonym.* hanc rem paucis comprehendendo dicimus varijs insigniri voculis ceu titulis eodem enim sensu cause, principij materialis & Elementi nomen audit: causa quippè & principium non absq; ratione appellantur respectu corporum mixtorum, quatenus eorum constitutionem ingrediuntur, eorumq; essentiam passivam constituantur.

VI. Explicatà sic Στρωματολογία immediatè statim transeundum est ad Πραγματολογίαν seu Definitionem Realem, eiusq; explicationem; prout Elementa duplex sortita sunt munus & officium; Ita eadem duplice in volvere considerationem certum est, *Absolutam* scilz. & *Respectivam*: Quarum illa est secundum quam Elementa absolutè ex ratione sua essentia ut corpora simplicia absq; ullā ad mista Relatione considerantur, & ut universam hujus mundi cum Cœlo machinam compleant; Hæc autem quatenus materiam mixtorum exhibent; horum namq; concretione, omnia corpora mista conflantur & continentur. Unde cum Clariss. Sperling. talem formamus Definitionem.

VII. Elementa sunt corpora Naturalia Simplicia sub

Cœlo contenta ad Universi integratatem, missorumque
constitutionem à Deo facta. Quam Definitionem cum
firmitate fulcro merito amplectimur, eamq; paulò
altius expendendam atq; enucleandam statuimus.

VIII. Generis vicem in supraposita Definitione susti-
nent corpora, quæ proximum Genus rectissimè affirma-
mus, nam corpus ~~etiam~~ de Definito prædicatur,
suāq; amplitudine & communitate omnes corporum
naturalium species complectitur, in quo etiam ratio for-
malis generis consistit, ut ex Logicis notum. Præterea
additur vox Naturalia, quia continent affectiones & pas-
siones; Ut excludantur artificialia, quibus præter natura-
rales affectiones, aliquid est superadditum, quod arti ac-
ceptum ferunt: Insimul ut distingvantur à corpore Mathe-
matico, quod solummodo est quantitas constans triñā di-
mensione, longitudine, latitudine & profunditate, quemad-
modum ab Euclide Defin. primā definitur.

IX. Simplicia sunt, quod fatetur ipse Aristoteles lib. 3.
de cœlo Cap. 3. Non tamen hāc in parte Aristoteli ad-
stipulamur, quod asseruerit simplicia judicanda, ob
motum, quo gaudent, simplicem; Fallit enim hic; Ft.
enim simplex motus non solius simplicitatis comes eit:
Lapis in altum projectus terram motu simplici repetit,
per rectam descendens lineam, quod Arist. Argumen-
tum si procederet, lapis esset simplex corpus dicendus.
Non ex motu nec loco, sed ex causis internis estimanda
est simplicitatis ratio. Forma autem cum magis non sit
concreta in lapide quā in aëre, simplicitatis vel composi-
tionis mater non est, sed sola Materia; Hæc ubi simplex ibi
simplex corpus; Ubi composita, compositum. Elementa
dicuntur simplicia non quod omnē abhorreant compo-
sitionem, constant hæc quemadmodum universum cor-

pus naturale coalitu essentialium sui partium: Sed respectu corporum mixtorum simplicia definiuntur; quantum nimis omnium mixtionis sunt experientia.

X. *Differentia desumitur à 1. Subjecto loco.* Locus est sub caelo & concavo Lunæ, undè & corpora subcoelestia & sublunaria appellari solent. Cœlum namq; subtilissimum & amplissimum illud corpus; omnia reliqua corpora, totamq; Elementorum compagem ambit & continet. Elementorum verò levissimum supremo; corpora mediæ naturæ, medio; crassissimum & gravissimum infimo in loco, providus naturæ conditor jussit stabulari. Ignem Elementarem purum, supremum locum occupare; Et sub Sphæra Lunæ esse, insignis ejus levitas, perpetuusq; ascendendi conatus arguere videtur si enim vi inde dimoveatur, vel à pabulo solvatur, in altum tanquam ad proprium & naturalem suum locum tendit. Quâ de re Scaliger Exerc. 9. scribit. Qui fumus ascendit, is ignis in se habet plurimum: Non enim ascendit propter aquam: Tanto minus propter terram ipsam. Sed neq; ab aëre fiet motus: In aëre enim jam est: Quem igitur quæret locum? Eum profecto qui supra aërem levissima debetur natura.

XI. 2. *Causa Efficiente, quæ est Deus gloriosus omnis benidator & Author, qui sex dierum spacio, quicquid mundus hic continet, cœlum ut potè & universum ejus exercitum, omniaq; corpora sublunaria, Elementa & quæ ex his constant modo perfectissimo ordineq; pulchro, divinâ suâ potentia creavit, viderat enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

XII. *De Materia Elementorum, quam Philosophi primam vocant, non omnes convenient, Aristoteles & ejus Asseclæ dicunt materiam Elementorum, seu primam es-*

se subiectum cuiusq; rei primum, ex quo quodvis cor-
pus naturale per se & non secundum accidens generatur
& in quod resolvitur ultimò: certasq; ei assignant pro-
prietates & conditiones. Quæ cum nullo aut è libro Natu-
ræ aut Scripturæ petito nitantur fundamento; inanitatis
assertionem illam damnamus, purum putumq; figmen-
tum, tantum opinionis factum, omnis namq; generatio
pro subiecto agnoscit materiam propinquam. Moses
in Historia creationis cum ordinem rerum creatarum
describit, primò recenset Deum ex nihilo Cœlum & ter-
ram i.e. massam quandam tenebricosam, tetram & infor-
mem, ovidio ^{condidit} chaos, ^{ex istâ} res cæteras procreasse,
duxisse, & in suum ordinem redegitte. Hinc disting-
vunt orthodoxi Theologi inter creationem *primam* seu
immediatam, & *secundam* seu *mediatam*: Illa est rerum o-
mnium simpliciter ex nihilo creatio; Hæc ex *υλης α μόρ-*
φε i.e. ex materia informi primitùs producta & non dum
elaborata & distincta, productio.

XIII. *Forma Elementorum* quænam sit, non levia inter
se Philosophi movent litigia, quidam enim veterum
Philosophorum qualitates primas Elementorum formas
substantiales asserere non dubitavere, duci rationibus
ex operationibus & differentijs eorum accidentalib⁹ pe-
titis, tum quod sublati, qualitatibus, ipsa quoq; Eleme-
nta tollerentur. Nos hanc opinionem suis Authoribus
quasi minus firmam relinquentes, Thesi sequenti absurdur-
da hinc manantia in apricum proferemus, nostram quæ
mentem deinde aperiemus*.

XIV. Prior sententia errorem & absurditatem suam
facile prodit, cùm forma specifica per se & ratione suæ
essentiæ considerata semper substantia sit, nunquam vero
accidens, opponitur enim hoc substantiæ, milleq; acci-
den-

dentia vix unam substantiam producere possunt, sed res
quarunt illa temper ad naturalem sui existentiam hanc
pro subiecto. Hæc pars negativa hoc fulcitur argumen-
to: *Quod uni est accidens, alteri substantia esse nequit.* At qualis
tates mixtas sunt *Accidentia E.* Elementis substantia esse ne-
queunt. Major firmatur ex antecedentibus: Minor pro-
batur hoc Prosylogismo. Nullæ formæ substantiales sunt per se
sensibiles, nec recipiunt magis & minus, neq; sibi invicem con-
trariantur; Sed qualitates hac faciunt E. Non sunt formæ sub-
stantiales, sed accidentia. Quod etiam omnium Sanio-
rum Philosophorum unanimis consensus approbat.

XV. Elementis autem præter qualitates formam
aliam substantialem & propriam competere certum est,
cum quodvis corpus naturale materia & formâ gaudeat, à
quâ propriè oriuntur operationes, affectiones & qualita-
tes, per quas formæ latentes describi solent. Quamvis
autem forma Elementorum à priori nobis non sit co-
gnita, potest tamen talis ejus formari descriptio, quod sit
principium causale internum, materia Elementari contradistin-
ctum, per quod Elementa sunt quæ sunt, distingvuntur & ope-
rantur. Formam autem ipsis denegare quia ignoratur,
neutquam admittendum, nam juxta tritum canonem
ab ignorantie rei ad ejus negationem, nulla est conse-
quentia.

XVI. Quemadmodum Elementa differunt op-
positis formis, ita non facile inter se transmutari ipsa ra-
tio dicitat, quamvis Peripatetici communiter ex aqua fieri
aërem, ex aëre ignem, cunctaq; Elementa inter se trans-
mutari, non totaliter quidem sed partialiter autument.
Quæ opinio cum duo infert absurdum, vacuum in naturam
introducit, & locum locato minorem arguit. minimè to-
leranda est. Rationes, quibus affirmativa sententia

nititur, valde lubricæ sunt, parumq; nos afficiunt: Experientiam dum provocant, dicimus sensum & rationem circa illam μελανόφωσην planè vacillare, & experientiam fallacem gignere; Aqua enim igni apposita non in aërem transmutatur, sed in vapores abit: Nec aér in aquam convertitur, sed dum aqua descendit, ut in pluvijs fieri solet, guttulæ aquarum non ex aëre, verum ex vaporibus in nubem condensatis & postea resolutis proveniunt. Cum ex alteratione transmutationem Elementorum probare satagunt, petitionem principij comittuntur. Ad contrarietatem dum confugiunt, falsitati & errori student, si enim omnia contraria substantialiter in se invicem transmutari debent, etiam serpens mutabitur in hominem, accipiter in columbam & lupus in ovem, ut habet Praclariss. Spero. Nec in generabilitate refugium quærant, cum nunquam generentur, sed eandem quantitatis proportionem nunc retineant, quam in primâ mundi creatione accéperant.

XVII. Num verò formæ Elementorum, quatenus in mixto sunt, quoad substantiam maneant integræ, maximè controvertitur. De qua Spinoza & ardua quæstione, multi tam veteres, quam Recentiores ingenia sua anxiè torserunt: Quidam formas Elementorum in mixto nullo modo servari, sed tantum qualitates contemporatas & remissas manere censuerunt. Alij formas Elementorum in mixto cum ratione suæ substancialiæ, tunc ratione qualitatum planè interire & aboleri statuerunt *et regy* & *et potentia* saltem relictâ. Quidam Elementa & secundum substantiam seu formas substanciales, & secundum qualitates, refractas tamen omnes & immutatas ac ad mediocritatem redactas remanere arbitrati sunt. Quæ sententiæ cum suo non destituantur vitio, sed omnes falsitate laborent, earum explicationem ad ipsum

psum Disputationis actum reseruabimus, partim quæ in
Thesi sequenti enodabitur.

XIX. Nos affirmativam questionis defendimus, nam Elementa miscentur & uniuntur non abulentur, ea enim quæ sunt abolita non possunt uniri. Deinde non tolluntur & annihilantur formæ in mixto, sed manent, quia propria formæ in mixtis manent eaq; nunquam separantur à suis subjectis, si autem manent, integræ manent, quia formæ nullas admittunt gradus, nec intenduntur nec remittuntur. i.e. nihil ipsis addi vel detrahi potest, nam si addas gradum aliquem perfectionis, statim desinunt esse eadem, item si demas; *Exemplo sit anima*. Ut si animæ sensitivæ addatur facultas rationalis, mox expirat nomen animæ sensitivæ, desinitq; mox esse eadē anima. Idem esto de Elementis si ipsis aliquid adimas statim desinunt esse eadem, Elementa igitur propriam speciem non deponere, sed formas integras in mixto manere, prout operationes eorū confirmat certissima est scientia.

XIX. Nec hic locum habere potest illa Zabarella distinctio, quâ distingvit inter illam remissionem, quæ est cum variatione speciei, & illam quæ speciem non variat. Nam qualiscunq; etiam remissio imperfectionem arguit & graduum diversitatem; proinde vana est hæc distinctione. Sciendum autem omnem formam consistere in indivisibili ratione suæ essentiae, ita ut prius intereat, quam dividatur & frangatur. Deniq; fit omnis intensio & remissio ratione contrarij agentis, tale autem in forma non datur, quia substantiæ, quatenus substantia, nihil est contrariū, quod ex Logicis resumere convenit.

XX. *Finis & officium Elementorum ex ipsa Definitione innotescit, estq; una cum coelo universum hoc integrare; nec non causam esse mutationum Physicarum,*

materiamq; mixtis sese præbere, nam omnis generis mutationes in mixtis efficiunt, ut supra Thesi septimâ quodammodo ostensum.

XI. *Affectiones & conditiones Elementorum in communi sunt i. Aliqua impuritas, præsertim ijs inest quæ apud nos sunt; si enim considerentur Elementa ratione suæ existentiæ, ut superi^o inculcavimus, vix unquam tam clara reperiuntur, quin qualitate alienâ sint infecta, & aliquid contagionis ex peregrinis partibus contractum admittant: Sic ignem impurum esse propter vapores & materiam aliquam crassam, cui adhæret, experientia testatur, ideoq; lucet, urit, alimentis indiget. Impuritatem aëris argunt nebulæ, pluviae, venti, nubes aliaq; meteora. *Aqua* colores, odores, sapores, viresq; varias in sece continent, adeò ut quædam sint dulces, quædam falsæ, aliæ Sulphureæ, aliæ vitriolatae, aliæ ferratae, aliæ aluminoſæ, aliæ salubres, aliæ mortiferæ, idq; ratione atomorum aliis atq; aliis qualitatibus præditarum. In terra est humor aqueus, alioquin humorem rebus ex terra crescentibus non suppeditaret.*

XII. Neq; tamen hæc Elementorum impuritas, nomen Elementi ipsis derogat ut mista sint dicenda; nam ad misti constitutionem plura requiruntur, quam nuda impuritas, rerumq; conjunctio. Sed ea tantum sunt mista appellanda, in quibus tantus à naturâ & puritate Elementorum factus est recessus, ut deposito formæ Elementaris Dominio & nomine, aliquid aliud ab Elementis diversum sit novumq; & peculiare alicujus speciei corporis naturalis nomen induat.

XIII. 2. *Quantitas materie comes, quæ omnino est finita, nam natura ab infinito abhorret; Et omne corpus naturale est finitum, Elementa sunt corpora Naturalia E, ut enim omnes*

omne Ens naturale finitam habet Essentiam, quia est Ens dependens : Sic etiam finitam habeat quantitatem necessarium est. Præterea Cœlum longè majus est corpus, suâ amplitudine totam Elementorum compagem ambiens & continens, ex quo colligitur hæc illo esse multò minor.

XXIV. 3. *Figura* quæ maxime est rotunda, tota n. natura amat rotunditatē, nam teste experientiā, loca longius diffusa in suinitate mali oculis conspiciuntur quæ in transversis navium propter tumorem aquæ aspectum fugiunt; quam figuram rotundæ guttæ etiam totum homogeneum habere arguunt; Item ob cœlum continens & circum, quæcumq; ambiens circulare. Hoc tñ. sciendum eos, runderem figuram non esse adeò fixam, quin etiam juxta extremitatem corporum variè mutari possint: Sic aqua in vase rotundo rotundam habet figuram, in quadrato, quadratam.

XXV. 4. *Qualitates*, quæ non ex motu Cœli, Sed è formis Elementorum non secus ac quantitatē è materia resultare statuimus: Absurdum enim est qualitatē naturalem aliundè quam à suâ formâ proficisci, à quâ dependet & esse suum habet. Nec formas Elementorum otiosas & effoetas esse, nullasq; qualitates, quib; tanquam instrumentis in operationibus edendis utantur, producere credendum. Unde definiri solent qualitates Elementorum accidentia, à formis istorum emanantia, & actionibus passionibusq; inservientia.

XXVI. *Qualitates Elementorum* dispesci solent juxta veteres in primas & secundas; Primæ vocantur caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas; Secundæ, levitas, gravitas, subtilitas & crassities. Cumq; hæc secundæ qualitates non oriuntur ex materia aliqua, ideo quod accidentia materialia, ex quâ, non agnoscant, neq; resultent ex primarum qualitatū temperaturâ, quamobrem non minus primæ

merentur dici quam calor, frigus, humiditas & secitas & quæ
enim primò illæ Elementis insunt ac hæc. Alia E. inqui-
rienda est ortus causa, & tutissimum est ad cuiuslibet qua-
litatis formam recurrere; Deus enim cùm produxit E-
lementa, eadem suis qualitatibus noluit esse orbata, sed
illa ornavit certis formis, unde emanarent hæc acciden-
tia: Sic forma ignis igni largitur suas qualitates, aëris aëri
&c. cùm ex diuinâ dispositione formæ omniū corporum
sint operatiæ E, etiam qualitates & proprietates Ele-
mentis largiantur necesse est.

XXVII. De harum qualitatum alteratione Aristotelici
multum sudarunt, eamq; dari asseruerunt. hâc duxi ratione,
quod ex aqua frigida sit quâdoq; calida, ex aëre hu-
mido & calido sit siccus & frigidus; Hinc ipsis alteratio est
motus in quo manente eodem subjecto sensili qualitas ac-
quiritur vel abicitur. Verum hoc dogma cum propri-
orum evertat naturam, minimè est tolerandum, nam ac-
cidentia hæc Elementis sunt in quarto modo propria
qua eis solis, semper & primariò insunt, idè absolum
est Subjecta hæc sua propria deponere, & loco istorum
alia prioribus contraria assumere. Neq; possunt duæ a-
ctiones contrariae in uno eodemq; subjecto eodem tem-
pore manere, vñz. conatus in aqua calida & calorem reti-
nendi & frigiditatē recuperandi. Sed cum ex aquâ frigidâ
sit calida, non sit per propriorum à subjecto separatio-
nem & aliorum accidentium communicationem, sed per
atomorum ignearum in aquam insinuationem, ita ut
utrumq; quod sibi proprium est, retineat, aqua suam fri-
giditatem & ignis suum calorem. Calor E. qui in aquâ
fervidâ sentitur, non in aqua, sed in atomis igneis per to-
tam aquam dispersis hæret. Idem judicium esto de aë-
re, ubi frigiditas, ibi etiam proprium ejus subjectum.

XXVIII.

XXVIII. s. *Motus Elementorum naturalis, cuius causa efficiens proxima attendenda venit, quæ vel Principalis vel Instrumentalis Principalis est propria ipsorum forma, propter hanc enim ignis rectâ sursum, terra rectâ deorsim, nisi violenter ab alio impediantur, moventur. Motus hic ipsis est naturalis, quapropter etiâ à principio interno, quod forma est, proveniat necesse est, non ab externo. Instrumentalis causa est qualitas, gravitas sz. vel levitas, propter hanc ignis ascendit & propter illam terra descendit. Non tamen acquiescendum in causis instrumentalibus, sed præter levitatem propria ignis notanda est forma, præter gravitatem propria forma terræ &c. à quâ per se & primariò motus proficiuntur...*

XXIX. Restat ut de Elementorum numero nonnihil sollicitissimus, quem quidam infinitum esse voluerunt, sed nullis suffulti rationibus. Nam dicere Elementa esse corpora naturalia dependentia, & tamen esse infinita, involvit contradictionem. Nec unum esse potest, id enim temperamentorum è miscibili qualitatibus ortorum varietas evincit, quod si unum esset Elementum, omnia mixta simili gauderent temperamento: Deniq; unica tantum esset morbi ratio, unicaq; via & modus valetudinarijs sanitatem restituendi; Verum hoc à veritate alienum esse, Medici testantur, ipsaq; experientia facile largitur; Quippe quidam morborum calefactione, quidam refrigeratione, quidam humectatione, quidam deniq; siccatione curantur. Alij ternarium numerum fecerunt, excluso igne Elementarii, cuius sententia Assettiores, cum rationibus nitantur minus prægnantibus, facilis negocio refelluntur. Nam qui ignem dari concedit, quamvis alienis qualitatibus & corporibus accidentaliter immersum, is etiam ignem Elementarem dari fatebitur,

XXX. Nos quaternarium Elementorum numerum
asserere non dubitamus, cum eum ipsa natura dictiter &
comunis recte Philosophantium consensus astraruat, nec
ad eum probandum multas rationes congerere necessari,
cum ipsis sensus, quot Elementa sunt, facile demonstrent,
haec quatror nimirum, ignem, aërem, aquam & terram,
quæ sententia doctorum omnium calculo censemur ve-
rissima: Sed ut ei majorem lucem addamus, unicam tan-
tum rationem adferre luet, petitam ex cuiuslibet misti
constitutione, quippe in omni mixto adesse quatror Ele-
menta patet ex humoribus in corpore; argumento no-
bis sit corpus humanum, quod dicitur de terra desumptū
Gen. 2. haec friabilis est, & sine aqua tanquam glutine a-
liquo non cohæret, & nisi accedat aërea natura esset sum-
mæ gravitatis corpū, nullius levitatis: Imò corpus me-
rè frigidum, nisi ignis suo calore frigiditatē temperaret
Deinde cum putrescit, non abit in nihilum, sed calor inci-
pit primū partes pinguiores & aëreas resolvere, postea
in liquidiores & aqueas agit partes ut in vapores solvan-
tur, quibꝫ omnibus disagregatis, remanet pars crassior vꝫ.
terra. Quo quaternarium Elementorū numerum certò
stabiliti manifestum est. Sicq; ea quæ in initio destinavimus, Divi-
nā gratiā ad finem perduximus. Faxit æternus rerum creator, nē operibus tuis
creatis abutamur, sed sobrie ea contemplerimur, mirēmur, donec in conspectu
tuo inter sanctos Angelorum Chorus & beatorum manes, gaudio fruamur
perenni perfusi uberrimā magnaliorum tuorum scientiā,

Præstantissimo & Politissimo Viro-Iuveni
DN. LAURENTIO SUNDIO, Philosophiæ Can-
didato meritissimo: Amico & fratri ab ineunte pueritia infuscato hoc disti-
cho gratulari voluit.

Sudāsti Solide Solers Suāvissime SUNDI;
Servat Sed Servo Serta suo Sophia.

O L A U S B E R G I U S Suderm: Medicin. Stud.
& Phil. Candid,